



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. XXIV. De prædestinatione Christi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

quod generatio passiva constituat genitum humanitatem, sed solum quod Verbum personaliter unitum humanitati, sit à Patre genitum æternæ generatione.

65. Dices, Ut passiva generatio uniatur humanitati formaliter, saltem necessarium est, quod Christus ut subsistens in humanitate formaliter, sit à Patre genitus æternæ generatione: Sed hoc non verificatur: Ergo generatio Verbi passiva, non unitur humanitati Christi formaliter. Major patet, Minor probatur. Christus ut homo non est genitus æternæ generatione ab æterno, aliàs ut homo ab æterno existeret; nec est genitus in tempore æternæ generatione, aliàs in tempore inceptisset generari: Ergo ut homo nullo modo potest in sensu formali dici genitus à Deo æternæ generatione.

66. Respondeo distinguendo secundam partem Antecedentis: Non est genitus in tempore, ly in tempore determinante generationem, concedo Antecedens. Cadente supra complexum ex humanitate & Verbo, quod genitum est ab æterno, nego Antecedens, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Sicut Christus ut homo in tempore subsistit per subsistentiam æternam, in tempore unitam humanitati, & in tempore Christus ut homo est Deus, & filius Dei, per deitatem & filiationem æternam, humanitati temporaliter unitam. Ita ut homo in tempore est genitus per generationem æternam temporaliter ipsi unitam. Et sicut ad veritatem istius propositionis, *Christus ut homo in tempore est filius naturalis Dei*, non requiritur quod hæc propositio sit vera, *Christus incipit esse Deus*, sed quod filiatione naturalis fuerit in tempore unita humanitati, & quod factum sit, quod Verbum ut subsistens in humanitate, sit filius naturalis Dei, factione cadente super complexum. Ita ut hæc propositio sit vera, *Christus ut homo est in tempore genitus à Deo*, non est necessarium quod Christi generatio incipiat in tempore existeret, sed quod in tempore facta sit unio humanitatis ad Verbum quatenus genitum, & quod factum sit ut Verbum, quatenus subsistens in humanitate, sit genitum.

67. Ad tertiam probationem Minoris principalis, nego Antecedens, si enim prima persona sanctissima Trinitatis humanitatem assumeret, esset, in quantum homo, Pater æterni Verbi, per gratiam unionis, sicut modò Christus, ut homo, est per gratiam unionis filius æterni Patris; & sicut Christus, ut homo, est genitus à Deo per generationem æternam, in tempore humanitati unitam: ita in hypothesi data, Pater ut homo esset generans filium, per æternam generationem, in tempore unitam humanitati.

68. Ad quartam, concessa Majori, nego Minorem, etenim Christus ut homo est filius Dei naturalis formaliter, quia humanitas per unionem hypostaticam trahitur ad esse Verbi in unitate personæ, quod formaliter est filius Dei naturalis: cum ergo Filius etiam sit Verbum formaliter & imago Patris: non est cur de Christo ut homine non prædicetur formaliter, esse pariter per gratiam unionis Verbum & imaginem Patris.

§. III.

Duo corollaria notat digna.

69. **E**X dictis inferes primò, Christum ut hominem, non esse filium naturalem sui, vel Spiritus Sancti.

Aritus Sancti, sed solius Patris æterni.

Pater hoc corollarium: Nam Christus ut homo est filius naturalis Dei, per filiationem fundatam in generatione æterna, ut docet D. Thomas infra quæst. 31. art. 3. & supra ostensum est: Sed generatio æterna nequit alium terminum, quàm æternum Patrem respicere: Ergo Christus ut homo, solum Patris æterni filius naturalis est.

B Confirmatur: Filiatio super aliquam actionem fundata, solum respicit pro termino illius actionis principium: Sed solus Pater est principium æternæ generationis, super quam filiatione naturalis Christi ut hominis fundatur: Ergo solum Patrem æternum ut terminum respicit, subindeque Christus ut homo, nec sui, nec Spiritus Sancti, sed solius Patris æterni filius naturalis est.

Inferes secundò: quòd si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, non esset ut homo filius naturalis, nec adoptivus Dei, esset tamen filius Dei filiatione fundatà in creatione humanitatis.

C Prima pars hujus corollarij probatur: Christus in quantum homo ideò solum est filius naturalis Dei, quia humanitas per unionem hypostaticam assumpta fuit ad unitatem personæ cum Verbo, quod est filius Dei naturalis: Sed humanitas à Spiritu Sancto assumpta, non uniretur filio Dei naturali, cum Spiritus Sanctus Filius Dei naturalis non sit: Ergo Spiritus Sanctus non esset quatenus homo Filius Dei naturalis.

Secunda etiam pars facile suaderi potest: Nam adoptio, ut articulo præcedenti ostendimus, petit extraneitatem personæ, id est personam distinctam ab adoptante, & non habentem ab intrinseco ius ad hereditatem: Sed Spiritus Sanctus, ut homo, non esset extranea persona à Deo, cum non esset personaliter distinctus à seipso, ut in deitate subsistente, jusque ab intrinseco haberet ad hereditatem Dei: Ergo ut homo, filius adoptivus non esset.

D Denique tertia pars hujus corollarij probatur: Ideò solum Christus ut homo non est filius Dei, ratione creationis, quia est perfectè filius ratione generationis æternæ: id autem quod tale dicitur secundum perfectam rationem, non potest dici tale secundum rationem imperfectam & analogam, ut docet D. Thomas infra quæst. 32. art. 3. Sed hæc ratio in Spiritu Sancto locum non habet, cum non esset ut homo filius Dei naturalis: Ergo esset ut homo filius Dei ratione creationis.



E DISPUTATIO XXIV.

De prædestinatione Christi.

Ad quæstionem 24. Divi Thomæ.

AB SOLUTA disputatione de filiatione Christi, & ab ipso exclusà filiatione Dei adoptivà, & admisà naturali, consequens est, ut de ejus prædestinatione, ex qua ut homo habuit esse filium Dei naturalem, differamus, & difficultates aliquas quæ circa illam occurrunt, breviter resolvamus, ac tandem huic tractatui finem imponamus.

SSff ij

ARTICVLVS PRIMVS.

Quisnam sit terminus primarius & principalis praedestinationis Christi?

Christum Dominum verè esse prae-
destinatum, concedunt omnes Theologi, & pater
ratione quà vtitur D. Thomas hic artic. 1. Om-
ne quod fit in tempore est à Deo praeordinatum
ab aeterno, cum ordinatio divina nequeat in tem-
pore incipere, ratione immutabilitatis Dei: Sed
in tempore factum est quod Christus multa dona
gratuita & supernaturalia consequeretur, prae-
sertim filiationem Dei naturalem, & visionem
beatificam: Ergo hoc erat à Deo ab aeterno prae-
ordinatum: Sed divina praeordinatio eorum quae
in tempore fiunt per gratiam, praeformatio dicitur:
Ergo Christus verè à Deo praeordinatus est.
Unde hic restat discutiendum, ad quid primario
& principaliter Christus praeordinatus sit? Seu
quisnam sit terminus primarius & principalis
praedestinationis eius?

In cuius difficultatis resolutione, variè opinan-
tur Authores. Quidam enim quos, suppresso
nomine, refert D. Thomas ad Roman. 1. lect.
3. pro termino primario & principali praeesti-
nationis Christi assignant non filiationem divi-
nam, sed ejusdem declarationem; ita ut Chri-
stus fuerit praeordinatus, non ad esse, sed ad ma-
nifestari filium naturalem hominibus. Alij, de
quorum numero est Cajetanus, haec verba Apo-
stoli ad Roman. 1. *Qui praeordinatus est filius
Dei in virtute*, interpretantes, pro termino pri-
mario & principali praeestinationis Christi,
constituunt virtutem miraculorum. Alij verò,
inter quos sunt Altsiodorensis, & Scotus, exi-
stimant Christum principaliter fuisse praeesti-
natum ad gloriam animae, & secundario ad esse
personale filij Dei, sive ad filiationem Dei natu-
ralem. Idem sentire videntur Durandus, Lorca,
& Ysambertus, cum negent Christum esse pro-
priè loquendo praeordinatum ad filiationem Dei
naturalem. Denique Thomistae, & alij Theolo-
gi communiter, asserunt filiationem Dei natu-
ralem, esse terminum primarium & principalem
praeestinationis Christi, beatitudinem verò,
seu visionem beatificam, aliaque dona superna-
turalia, animae Christi collata, fuisse duntaxat
terminum ejus secundarium & minus principa-
lem.

§. I.

*Tribus conclusionibus difficultas proposita
resolvitur.*

Dico primò, terminum primarium & prin-
cipalem praeestinationis Christi, non esse
declarationem seu manifestationem filiationis
Dei naturalis.

Probatur primò: Praeformatio propriè acce-
pta est in ordine ad terminum qui gratia sit, fa-
cta subiecto praeformato: Sed manifestatio fi-
liationis naturalis, non est gratia facta Christo,
sed nobis: Ergo Christus non potest dici propriè
praeordinatus ad hanc manifestationem, nec per
consequens talis manifestatio potest esse termi-
nus primarius & principalis praeestinationis
Christi.

A Probatur secundò: Terminus primarius &
principalis praeestinationis Christi, est ille qui
ultimo per illam intenditur: Sed manifestatio fi-
liationis naturalis, non fuit finis ultimò intentus
per divinam praeestinationem, quà fuit ab aeter-
no dispositum quod Deus fieret homo, & homo
esset Deus: Ergo talis manifestatio non potest di-
ci terminus primarius & principalis praeesti-
nationis Christi.

Dico secundò: etiam virtus miraculorum non
est terminus primarius & principalis praeesti-
nationis Christi.

Probatur primò: Virtus miraculorum, cum sit
gratia gratis data, non subiecti cui datur, sed
aliorum respicit utilitatem, ut docet D. Thomas
1. 2. quæst. 111. art. 1. Sed nullus propriè dicitur
praeordinari ex ordinatione ad aliorum utilita-
tem: Ergo Christus non dicitur propriè prae-
ordinatus ad virtutem miraculorum, subindeque
nec talis virtus propriè dici potest praeesti-
nationis terminus.

Probatur secundò: Licet virtus miraculorum
fuerit Christo ab aeterno praeformata, non tamen
ad illam ut ad ultimum finem intentum ordinatus
fuit, aliàs ipsa Christi Incarnatio fuisset ad hanc
virtutem ut ad finem ordinata: Ergo ex ordine
ad illam, non potest dici Christus propriè prae-
ordinatus, nec illa vocari potest primarius & prin-
cipalis praeestinationis Christi terminus.

Dico tertio: Filiatio Dei naturalis, est prima-
rius & principalis praeestinationis Christi ter-
minus; beatitudo verò, seu visio beatifica ani-
mæ ejus, aliaque dona supernaturalia ipsi colla-
ta, terminus duntaxat secundarius & minus
principalis.

Hæc conclusio colligitur ex varijs locis Scrip-
turæ, præsertim ex illo Apostoli ad Roman. 1.
Qui praeordinatus est filius Dei in virtute: Qui-
bus verbis explicat præcipuum terminum prae-
estinationis Christi, & principaliter intentum,
nimirum filiationem Dei naturalem, Unde Au-
gustinus libro de prædestin. Sanctorum cap. 15.
ex illis verbis Apostoli sic infert: *Prædestinatus
ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem
filius David, esset tamen in virtute filius Dei*,
subindeque censet, Christum ut filium David,
quod est idem ac Christum ut hominem, fuisse
prædestinatum ut esset filius Dei naturalis. Sub-
dit Apostolus, *Secundum spiritum sanctificationis
& resurrectionis mortuorum*, ut declaret termi-
num secundarium ad quem prædestinatus est
Christus, ut nimirum sit sanctus & sanctifica-
tor aliorum, & gloriam resurrectionis per sua
merita acquirat. Item Joan. 1. explicatur termi-
nus primarius praeestinationis Christi, cum di-
citur: *Et Verbum caro factum est*; secundarius ve-
rò, cum subditur, *Et vidimus gloriam ejus, glo-
riam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & ve-
ritatis*.

Ratio etiam suffragatur. Et in primis quod fi-
liatio Dei naturalis sit terminus praeestinationis
Christi, ostenditur contra Durandum, Lorcam,
& Ysambertum, ratione desumpta ex prædicto
Apostoli testimonio. Ad id quod Christo ut ho-
mini convenit in tempore ex gratia, prædestina-
tus est ab aeterno: Sed Christo ut homini conve-
nit per gratiam unionis in tempore, esse filium
naturalem Dei: Ergo Christus ut homo præde-
stinatus est ab aeterno filius Dei naturalis, subin-
deque filiatio naturalis est suæ praeestinationis
terminus. Major constat, nam juxta Augusti-

num, prædestinatio est præparatio gratiæ: Sed A gratia Christo ut homini in tempore communicata, est illi præparata à Deo ab æterno: Ergo ad id quod Christo ut homini convenit in tempore ex gratia, prædestinatus est ab æterno. Minor, præterquam quod ex objectionum solutionibus constabit, probatur. Licet personæ Christi, ut subsistenti in natura divina, naturale sit esse filium naturalem Dei, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam: Ergo esse filium Dei naturalem, ut in humanitate subsistentem, convenit Christo ut homini ex gratia. Quare D. Thomas prædicta Apostoli verba exponens, lect. 3. sic ait: *Prædestinatio potest attribui personæ Christi, secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuat ei, prout subsistit in divina, unde & Apostolus prius Filium Dei incarnatum esse præmiserat, & postea prædestinationem ei attribuit, ut intelligatur prædestinatus esse secundum quod factus est ex semine David secundum carnem.* Quibus verbis aperte docet, Christum ut hominem fuisse prædestinatum ut esset filius Dei naturalis, subindeque filiationem Dei naturalem, esse suæ prædestinationis terminum.

Deinde quod talis filiatio sit primarius & principalis prædestinationis Christi terminus, visio autem beatifica, terminus duntaxat minus principalis, contra Scotum & Alifiodorem ostenditur. Ille dicitur terminus primarius & principalis prædestinationis Christi, qui fuit primò & principaliter intentus & subsecutus ex ejus prædestinatione: Sed filiatio Dei naturalis fuit primò & principaliter intentata in Christi prædestinatione, non autem visio beatifica, cum hæc sit quid divinum tantum participativè, illa verò sit quid divinum per essentiam: Ergo filiatio Dei naturalis, est primarius & principalis terminus prædestinationis Christi, visio autem beatifica, terminus duntaxat secundarius & minus principalis.

10. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Unio ad Deum secundum esse, quæ præstat ad gratia unionis, perfectior est unione ad Deum secundum operationem, in qua consistit beatitudo: Sed quod excellentius est, ad inferius ut ad finem non ordinatur: Ergo humanitas Christi non fuit ordinata ad unionem hypostaticam ut medium, & ad beatitudinem ut finem, sed contra beatitudo ut fini subordinatur unioni hypostaticæ, & consequenter non fuit prædestinata ad beatitudinem ut finem & terminum principalem, sed ad filiationem naturalem Dei.

§. II.

Difficile argumentum proponitur, & varia illius solutiones referuntur, ac refelluntur.

11. **C**ontra ultimam conclusionem objici solet difficile argumentum, ad probandum filiationem Dei naturalem, non esse terminum prædestinationis Christi, seu Christum, ut hominem, non esse propriè prædestinatum ad esse filium Dei naturalem. Nam prædestinatio subiecti ad aliquem terminum, petit quod terminus in subiecto non includatur: Sed filiatio naturalis intrinsecè includitur in Christo, quatenus homine: Ergo Christus ut homo, non potest propriè esse prædestinatus in filium Dei naturalem, nec per consequens filiatio Dei naturalis, esse terminus prædestinationis Christi. Major constat, nam subiectum prædestinationis petit prius esse

Tom. I V.

quàm terminus, illique ex gratia convenit terminus ad quem ordinatur, & ad ipsum pervenit ex vi prædestinationis: quæ salvari nequeunt, si terminus in subiecto includatur. Minor verò sic ostenditur: Christus ut homo est compositus ex subsistentia Verbi & humanitate: Sed subsistentia Verbi essentialiter est filiatio: Ergo est compositus ex natura humana, & filiatione naturali divina, & per consequens includit filiationem Dei naturalem.

Mirum est quantum hæc difficultas, Theologorum ingenia torqueat, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat.

In primis Vazquez hic disp. 90. cap. 4. ut ab ea facile se expediat, asserit subiectum quod prædestinationis Christi, non esse Christum, ut hominem, sed duntaxat ipsam humanitatem assumptam, quæ à subsistentia Verbi, & consequenter à filiatione Dei, realiter distinguitur.

12. Verum hæc solutio & doctrina facile potest refelli, tum autoritate, tum duplici ratione D. Thomæ hic art. 1. ad 2. ubi sic discutitur: *Quidam dixerunt prædestinationem intelligendam esse de natura non de persona Christi, quia scilicet humana natura facta est hæc gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personæ. Sed secundum hoc locutio Apostoli (dicentis ad Roman. 1. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute) est impropria, propter duo. Primò quidem ratione communi, non enim dicimus naturam alicujus prædestinari, sed ipsum suppositum; quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem suppositum est agentis propter beatitudinis finem. Secundò ratione speciali, quia esse Filium Dei, non convenit humane nature, est enim hæc falsa. humana natura est Filius Dei: nisi forte quis velit sic exponere extorâ expositione: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, id est, prædestinatus est ut humana natura uniretur Filio Dei in persona: relinquitur ergo quod prædestinatio attribuitur personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura.* Quibus verbis duas assignat rationes, quibus Vazquezij doctrina convellitur. Prima est: Illi convenit propriè prædestinari, cui convenit dirigi in finem: Atqui dirigi in finem, cum sit quoddam moveri, non convenit propriè nature, sed supposito: Ergo nec prædestinari. Minor constat, quia sicut natura non agit ut quod, sed suppositum, ita non movetur ut quod. Secunda verò sic potest proponi: Prædestinatio Christi ordinatur ad hoc ut subiectum ejus sit filius Dei naturalis, juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute:* Sed humanitas Christi ad hoc non ordinatur, cum non possit dici filia Dei, sicut in naturalibus, humanitas Petri non dicitur propriè filia Pauli, nec genita, nisi ut quo, quia actiones sunt supposito- rum, tam elicitive, quàm terminative, juxta illud Aristotelis: *Natura humana non flet, neque nec; sed Socrates flet, & Callias nec:* Ergo humanitas non est subiectum prædestinationis Christi, sed suppositum Christi, ut subsistens in natura humana. Unde D. Thomas exponens prædicta verba Apostoli lect. 3. sic ait: *Prædestinatio potest attribui personæ Christi, secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuat ei, prout subsistit in divina.*

Secundus dicendi modus est Cajetani hic art. 1. §. *Secunda autem conditio, ubi Christum ut hominem docet considerari posse dupliciter: primò ut*

S S ff. iij

incarnatum, abstrahendo à vero modo Incarnationis per unionem substantialem, & à modo ab hæreticis conficto, per unionem accidentalem; secundò ut incarnatum tali modo Incarnationis, per unionem scilicet humanitatis ad Verbum, in unitate personæ; & quia inter Verbum & incarnationem ut sic, & idem Verbum, ut taliter incarnatum, intercedit distinctio rationis, ut inter commune & proprium, fit ut Verbum à nobis conceptum ut incarnatum, dicatur prædestinari ad specialem modum Incarnationis per unionem personalem. Juxta quem modum dicendi, facile responderetur objectioni propositæ, negando Minorem, nam filiatio Dei naturalis, non includitur in Verbo, prout incarnato sub illa communi ratione, sub qua est prædestinationis Christi subiectum.

14. Sed hæc Cajetani subtilitas, non solùm extraneis, sed etiam domesticis Theologis displicet, & doctrinæ D. Thomæ repugnat. Nam S. Doctor hic art. 1. ad 2. sic ait: *Prædestinatio tribuitur personæ Christi, non quidem secundum se, sed secundum quod subsistit in humana natura: unde cum prædixisset Apostolus, Qui factus est ex semine David secundum carnem, subiunxit, Qui prædestinatus est Filius Dei, ut daret intelligere quod secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei.* Ubi in primis ponderanda sunt hæc verba; *Tribuitur illi prædestinatio secundum quod subsistit in humana natura*, nam hæc ratio non abstrahit à vera & falsa incarnatione, sed explicat determinatè veram incarnationem: Ergo juxta D. Thomam secundum veram incarnationem tribuitur illi prædestinatio, non secundum rationem communem abstrahentem à vera & falsa. Deinde expendenda sunt ista verba quæ subiicit: *Ut daret intelligere quod secundum hoc quod est factus ex semine David, est prædestinatus*: quibus etiam S. Doctor apertè declarat, Christum non esse prædestinatum, secundum quod abstrahit ab hoc quod est factus, vel fictus, sed determinatè secundum quod est factus, illum esse prædestinatum, subindeque prædestinationis Christi subiectum, non esse Christum ut incarnatum, abstrahendo à vero modo Incarnationis, & à modo ab hæreticis conficto.

15. Ratio etiam id suadet, Nam ratio communis, non nisi improprie potest dici prædestinata, ut contrahatur per rationem differentialem, tum quia prædestinatio, utpote pars providentiæ, petit erga singularia, tam subjective quàm terminative versari. Tum etiam, quia ratio communis, gratiæ suscipiendæ propriè capax non est: Ergo subiectum prædestinationis Christi, non potest esse Verbum ut incarnandum sub ratione communi, à vero & falso modo Incarnationis abstrahente.

16. Tertius modus dicendi pro subiecto prædestinationis constituit Christum possibilem, & pro termino ponit Christum existentem; & quia existentia Christi ut hominis, non includitur in Christo possibili, nec est de ratione illius, ad objectionem factam responderet, negando Minorem, potuit enim Christus non existere, & consequenter filius Dei naturalis non esse. Ita Medina, & teste Asturicensi, plures sui temporis Theologi.

17. Sed hic etiam modus dicendi non placet. Primò quia subiectum prædestinationis, prout à termino distinctum, terminat amorem divinum, cum Deus illi velit prædestinationis terminum:

A Sed Christus, ut purè possibilis, non est capax terminandi amorem Dei, ut de omni creatura possibile, in Tractatu de voluntate Dei, fusè ostendimus: Ergo Christus ut possibilis, non est subiectum prædestinationis sui.

Secundò, Subiectum prædestinationis est cui Deus præparat gratiam: Sed Christus ut possibilis non est susceptivus proximè gratiæ; cum primum beneficium quod Christo potuit fieri in statu possibilitatis, sit ipsum transferre ad statum futuritionis & actualitatis: Ergo Christus, ut possibilis, nequit esse subiectum suæ prædestinationis.

Quarta solutio objectionis propositæ asserit subiectum prædestinationis Christi esse subsistens vagè hac vel illà subsistentiâ in hac numero humanitate, quod dicitur hic homo, quia ut talis sit & dicatur, sufficit singularitas humanitatis; terminus autem est subsistens determinatè subsistentiâ Verbi, quæ est naturalis filiatio, unde terminus non clauditur in subiecto. Ita Suarez hic disp. 50. sect. 2. quem sequuntur plures moderni ex eadem Societate, quamvis diversimodè loquantur.

19. Sed neque etiam hæc solutio satisfacit: nam prædestinatio, utpote pars providentiæ, non circa universalia, sed circa singularia versatur: unde sicut ex parte naturæ ponitur singularitas, ita ex parte suppositi debet poni; subindeque non minus absurdum est dicere, subiectum prædestinationis Christi esse subsistens vagè hac vel illà subsistentiâ, quam si diceretur naturam humanam in communi, & abstractam ab individuis, fuisse prædestinatam ut assumeretur à Verbo.

Confirmatur: Prædestinatio determinat id quod in reponendum est: Sed in Christo non est posita natura singularis in re, cum solo supposito vago & indeterminato, alias ratio communis poneretur à parte rei sine particulari, quod implicat non minus ex parte suppositi, quàm ex parte naturæ, quia esset idæa Platonis: Ergo prout sic non est obiectum, seu subiectum prædestinationis.

Confirmatur ampliùs: Non potest dici hominem in communi per naturalem providentiam prædestinari ut esset hic homo in particulari: Ergo nec subsistens vagè hac vel illà subsistentiâ, potest dici propriè prædestinatum per providentiam ordinis supernaturalis & hypostatici, ad subsistendum in humanitate per subsistentiam determinatam Verbi, quæ est filiatio naturalis.

22. Quinta solutio distinguit duas formalitates in personalitate Christi, nempe subsistentiæ, & filiationis, & secundum primam asserit primò uniari humanitati, & facere eam subsistentem, ac subiectum prædestinationis Christi ad secundam formalitatem, quæ ejus terminus est. Ita quidam recentiores Theologi, quos suppresso nomine refert Asturicensis in libro de gratia Christi, paginâ 964. solut. 4.

23. Hic modus dicendi magis videtur subtilis, quàm verus, & facile confutati potest; tum quia Christus non solùm prædestinatus est ut esset filius Dei naturalis, sed etiam ut esset subsistens subsistentiâ Verbi; imò priùs naturâ concipitur ut subsistens subsistentiâ Verbi, quàm ut filius naturalis Dei: Ergo personalitas Christi, non solùm sub ratione filiationis, sed etiam sub ratione subsistentiæ, est terminus prædestinationis ejus, subindeque ejus subiectum esse nequit. Tum etiam

quia illud compositum constitutum ex persona Verbi ut subsistenti, & ex humanitate, est effectus supernaturalis: Ergo ponitur in re ex vi prædestinationis Christi, & per consequens non est subiectum illius, sed terminus.

24. Denique Cornelius à Lapide super caput 1. Epistolæ ad Romanos, ut ab hac difficultate se expediat, aliam solutionem excogitavit. Ait enim, subiectum prædestinationis Christi, esse hunc hominem, ut concretum existentie, non autem ut concretum ex subsistentia Verbi, & humanitate, fuisseque prædestinatum ad Divini Verbi subsistentiam, per quam constituitur Filius Dei naturalis. Juxta quam doctrinam respondet objectioni, negando Minorem, nam Christus ut est prædestinationis subiectum, est homo existens, non tamen subsistens, & in homine ut existente non clauditur subsistentia.

25. Verum neque hic dicendi modus veritati consentaneus est. Primò quia humanitas Christi non existit mediante propria existentia, sed per existentiam divinæ naturæ, illi unitam, mediante hypostasi Verbi, ut docet D. Thomas supra quæst. 17. art. 2. & nos supra fusè ostendimus:

Disp. 8. art. 2. Atqui existentia naturæ divinæ, non communicatur humanitati Christi immediate, sed mediâ personalitate Verbi, alias fuisse immediate unita naturæ divinæ secundum aliquid absolutum, contra communem Theologorum sententiam: Ergo prius intelligitur in Christo hic homo subsistens, quàm intelligatur existens, & consequenter ut concretum existentie, non fuit prædestinationis subiectum, ordinatum ad unionem cum subsistentia Verbi, sub conceptu subsistentie.

26. Secundò, Dato humanitatem Christi propriam retinere existentiam, & illâ mediante existere, ut docent plures Theologi extra Scholam D. Thomæ, adhuc affirmari non potest subiectum prædestinationis Christi esse concretum ex humanitate & existentia, sed necessariò dicendum est, esse concretum ex subsistentia Verbi, & humanitate: Ergo adhuc admittenda illa sententia, modus dicendi Cornelij à veritate deficit. Consequentia patet, Antecedens probatur. Subiectum prædestinationis Christi non est humanitas, sed hic homo: At concretum ex humanitate & propria existentia, non potest dici hic homo: Ergo tale concretum non est prædestinationis Christi subiectum. Probo Minorem: In sententia supposita, Verbum assumpsit hanc humanitatem propriâ existentia existentem, & tamen non assumpsit hominem, & multò minùs hunc hominem, ut communiter docent Theologi cum D. Thomas supra quæst. 4. art. 3. Ergo concretum ex humanitate & propria existentia, non potest dici hic homo.

§. III.

Vera solutio traditur, & instantia quæ contra illam fieri possent diluuntur.

27. **H**is ergo dicendi modis prætermis, asserendum est, Christum ut hominem, vel ut subsistentem in hac numero humanitate, hac numero subsistentiâ, esse propriè prædestinationis suæ subiectum, fuisseque prædestinatum, ut in humanitate subsistens, etiam in deitate subsisteret, & ut sic subsistens, esset genitus à Deo Patre, & Filius naturalis illius: nam inter Christum ut hominem, & ipsum quatenus Deum, invenitur sufficiens distinctio ad rationem satisfaciens

A & creditoris, fuit enim ut homo pro hominibus satisfaciens, & ut Deus, creditor cui satisfecit; & ad rationem præmiantis & merentis, meruit enim quatenus homo, & quatenus Deus propria merita præmiatus est: Ergo etiam adest sufficiens distinctio inter Christum ut hominem, & ipsum quatenus Deum, & Dei filium naturalem, ad hoc ut quatenus homo sit prædestinationis suæ subiectum, & ut Deus, Deique filius naturalis, illius terminus. Quod ut fiat manifestius, & objectioni propositæ plenius satisfiat, tria breviter hic præmittenda sunt.

In primis advertendum est, subiectum prædestinationis Christi esse duplex, nimirum subiectum quod, & subiectum quo: subiectum quod est illud de quo terminus in concreto prædicatur, subiectum verò quo illud dicitur ratione ejus subiectum quod constituitur capax gratiæ, & antecessoris, quæ in prædestinatione importantur. Similiter prædestinationis terminus dupliciter sumitur, nempe pro termino qui, & pro termino quo: terminus qui est concretum, de subiecto prædicatum; terminus autem quo, est forma talis concreti: unde subiectum quod prædestinationis Christi, est hic homo, subiectum quo, est humanitas; terminus autem qui, est filius Dei naturalis; & terminus quo, ipsa naturalis filiatio.

Deinde observandum est, terminum quo realiter à subiecto distingui, terminum autem qui, non differre realiter à subiecto quod prædestinationis Christi. Patet hoc, nam filiatio Dei naturalis, realiter ab humanitate distinguitur; filius autem naturalis Dei, ut de hoc homine prædicatur, non distinguitur realiter ab hoc homine Christo, cum ex parte utriusque eadem ingrediantur, nempe humanitas & Verbum: Ergo inter subiectum quo, & terminum formalem prædestinationis Christi, realis distinctio invenitur, secus autem inter subiectum quod, & terminum qui.

Tertiò notandum est, inter subiectum quod, & terminum qui, esse distinctionem virtuales, & rationis, quod patet, nam subiectum quod est Christus, quatenus persona humana, & terminus qui, idem Christus, quatenus persona divina: Sed Christus ut persona humana, distinguitur ratione à seipso, ut persona divina, nam terminat utramque naturam, secundum aliam & aliam rationem subsistendi, ut docet D. Thomas supra quæst. 2. art. 4. Ergo inter subiectum quod, & terminum qui prædestinationis Christi, reperitur distinctio rationis. His præmissis.

Ad objectionem in limine paragraphi præcedentis propositam, respondeo distinguendo Majorem: Terminus prædestinationis quo petit non includi in subiecto quo ejusdem prædestinationis, concedo Majorem. In subiecto quod, subdistingno Majorem: inclusione reali, nego Majorem. Formali, concedo Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam filiatio naturalis, quæ est formalis terminus prædestinationis Christi, non clauditur realiter in humanitate, quæ est illius subiectum quo: in Christo autem homine, qui est subiectum quod, est realiter includatur, non importatur formaliter, quia licet in Christo ut homine, includatur subsistentia Verbi, & hæc sit filiatio naturalis, non tamen importatur in Christo, quatenus homine, sub munere filiationis divinæ, sed personalitatis humanæ, ac proinde licet includatur realiter, non importatur tamen formaliter in subiecto præde-

stinationis Christi, terminus ejusdem prædestinationis. Ita præclare illustrissimus & eruditissimus Episcopus Oxoniensis, in manuscripto Tractatu de adoptione & prædestinatione Christi, à quo hæc mutuati sumus, & aliqua, ne perirent, ejus fragmenta collegimus.

Contra hanc solutionem & doctrinam plura militant argumenta difficilia, quæ idem Episcopus proponit & solvit: duo tantum hic referam quæ videntur præcipua, ex quorum solutione magis hæc difficultas elucidabitur.

32. Obijciatur ergo primò: Christus ut homo importat formaliter non solum humanitatem, sed etiam substantiam per quam subsistit humanitas, & hic homo constituitur in ratione personæ: Sed substantia per quam subsistit humanitas, est formaliter divina Verbi filiatione: Ergo Christus ut homo, non materialiter, sed formaliter, claudit filiationem Dei, subindeque non potest esse subiectum prædestinationis Christi. Major patet, Minor probatur. Christus ut homo subsistit per substantiam Verbi, ut distinctam à substantia Patris, & Spiritus Sancti: Sed substantia Verbi distinguitur ab aliis substantiis relativis, ex conceptu filiationis: Ergo subsistit per substantiam Verbi, ut formaliter est filiatione, & consequenter hic homo, non materialiter, sed formaliter importat filiationem divinam.

33. Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, distinguo Minorem: substantia Verbi distinguitur ab aliis substantiis relativis ex conceptu filiationis, sub solo munere filiationis, nego Minorem. Sub quovis alio munere claudente & exigente, licet non explicante munus filiationis, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Nam sicut personalitas Patris gaudet triplici munere, nempe personalitatis, sub conceptu formæ hypostaticæ, qua ratione ad generationem supponitur; & originis activæ, sub conceptu egressionis; & tandem relationis exercitæ referentis, & Patrem in ratione Patris constituentis; qua ratione supponit generationem, & super illam fundatur; & hæc tria munera exercet, prout distincta à filiatione; quamvis sub primo & secundo munere, relationis & paternitatis munus non exprimat, sed tantum exigat, & implicet. Ita filiatione Divini Verbi, prout distincta à paternitate, ipsum genitum constituit, sub munere passivæ generationis; & personam, sub munere formæ hypostaticæ; & filium, sub munere relationis; ipsaque ut duo prima munia exercens, à paternitate distinguitur, non quia explicat munus filiationis, sed quia illud exigit, & implicite involvit. Sicut autem filiatione in ordine ad Verbum in se, hoc triplici munere gaudet, ita in ordine ad Christum ut hominem: nam primò illum constituit in ratione humanæ personæ, sub quo munere non explicat, sed tantum implicat exercitum filiationis. Secundò humanitatem unit cum natura divina, prout in Verbo existit per æternam generationem; deinde cum eadem ut existit in Verbo, sub conceptu secundæ personæ; & tandem prout existit in Verbo, ut relato relatione filiationis; & quamvis ut primum munus exercet, distinguatur à paternitate, non tamen exercet formaliter munus filiationis divinæ, sed illud claudit implicite; & Christus ut homo constituitur per filiationem, sub munere substantiæ humanæ, est subiectum prædestinationis ad esse genitum, ad esse secundam personam Trinitatis, & Filium naturalem Dei. Hæc

A doctrina longiori discussione indigeret, nisi in Tractatu de Trinitate, agendo de constitutione Divinarum Personarum, fusè à nobis esset exposita: unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem sæpius repetamus.

Dices: Licet in filiatione Verbi hæc munera distinguantur, prius tamen intelligitur munus subsistentiæ divinæ, quam munus subsistentiæ humanæ: Ergo prius est personalitatem Verbi constituit Filium naturalem Dei, quam humanam personam, & consequenter Christus prout in humanitate subsistit, Filius Dei naturalis, seu in Filium Dei naturalem, prædestinari non potuit.

B Respondeo, concedo Antecedente, distinguendo Consequentiam: Prius est Verbum in seipso esse Filium Dei naturalem, quam humanam personam, concedo Consequentiam. Prius est esse Filium naturalem in humanitate, quam esse humanam personam, nego Consequentiam. Ex hoc ergo quod in Verbo, ut in se est, prius sit esse Filium Dei naturalem, quam humanam personam, solum sequitur Christum non fuisse prædestinatum ut esset Filius Dei in se, non autem quod prædestinatus non fuerit, ut quatenus in humanitate subsistens, esset Persona Divina, & Filius naturalis Dei. Ut enim docet D. Thomas hic art. 1. ad 3. *Licet non conveniat persona Christi absolute quod inciperit esse Filius Dei, convenit tamen ei secundum quod intelligitur ut in humana natura existens, quia scilicet hoc aliquando incipit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei.*

C Obijciatur secundò: Verbum ut subsistens in humanitate, est terminus prædestinationis Christi: Ergo ut sic non est subiectum illius. Patet Consequentia, nam subiectum & terminus prædestinationis debent aliquâ ratione distingui. Antecedens verò sic ostenditur. Illud est terminus prædestinationis quod ab æterno est dispositum, ut per gratiam fiat in tempore: Sed ab æterno est dispositum, ut per gratiam unionis, in tempore Verbum in humanitate subsistat: Ergo Verbum in humanitate subsistere, est terminus prædestinationis.

D Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Illud est terminus prædestinationis, quod ab æterno est dispositum ut fiat in tempore per gratiam, quæ sit gratia subiecto prædestinato, concedo Majorem. Si gratia subiecto prædestinato non sit, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam gratia unionis, non est gratia Verbo facta, cum Verbum capax gratiæ non sit; nec etiam est gratia Christo ut homini facta, loquendo propriè de gratia; nam ad gratiam propriè talem respectu alicujus subiecti, debet præsupponi subiectum; Christus autem ut homo, non præintelligitur ante unionem humanitatis ad Verbum; sed solum est gratia, respectu humanitatis: hæc autem subiectum prædestinationis Christi non est; & ideo quamvis ab æterno præordinatum sit, ut Verbum in humanitate subsistens, sit homo, & consequenter prædestinatum, largè acceptâ prædestinatione, non tamen est prædestinatum prædestinatione propriâ; ac proinde Verbum in humanitate subsistere, & hominem fieri & esse, terminus prædestinationis propriè non est.

ARTICVLVS II.

Quot modis prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis?

39. **P**rædestinationem Christi esse causam prædestinationis nostræ, certum & indubitatum est apud omnes, id enim manifestè declarant plura Scripturæ testimonia infra adducenda, & docet expressè D. Thomas hic art. 4. probatque ex eo quod, *Sic Deus præordinavit nostram salutem ab æterno prædestinando, ut per Iesum Christum compleretur.* Solum ergo difficultas est, quot modis prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis: Pro resolutione

Dico breviter, prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis tribus modis, seu in triplici genere causæ: nimirum in genere causæ finalis, formalis extrinsecæ, seu exemplaris, & efficientis moralis, seu meritorie.

Probatur prima pars conclusionis primò auctoritate Scripturæ, dicitur enim ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum.* Ubi ly *in ipsum* causam finalem significat, ut docent Interpretes. Item 1. ad Corinth. 3. sic ait Apostolus: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ubi D. Thomas ait significari, quod quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, & ipsi prædestinati, sunt propter Christum, tanquam propter finem, sicut & illa omnia, & ipsemet Christus, sunt propter Deum ut ultimum finem.

40. Probatur secundò ex Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi definitur quod causa finalis nostræ justificationis, est gloria Dei, & Christi: Sed eadem est ratio quantum ad hoc de prædestinatione, ac de justificatione, præsertim cum justificatio sit unus ex præcipuis prædestinationis effectibus: Ergo prædestinatio Christi est causa finalis nostræ prædestinationis.

41. Probatur tertio ratione: Idem est prædestinationem Christi esse causam finalem nostræ prædestinationis, ac Christum prædestinatum esse finem effectuum nostræ prædestinationis: Sed Christus prædestinatus fuit ut finis omnium effectuum nostræ prædestinationis: Ergo illius prædestinatio est causa finalis nostræ prædestinationis. Major patet, Minorem verò pluribus ostendimus supra disp. 5. art. 1. §. 5. ubi probabilius censuimus Christum fuisse à Deo intentum ut finem non solum prædestinationis hominum & Angelorum, sed etiam creationis illorum. Et patet, tum quia rectus intendendi & providendi ordo postulat, ut caput non sit propter membra, sed è contra membra ad caput ut ad finem ordinentur: Sed Christus prædestinatus est caput omnium prædestinatorum: Ergo juxta rectum & consonum modum providendi, fuit prædestinatus ut prædestinatorum finis. Tum etiam, quia ut loco citato ex Magistro Herrera diximus, cum Deus sit omnium creaturarum finis, consentaneum videtur, ut ea in quibus speciali quodam modo reperitur, sint etiam aliorum omnium fines; ideoque cum in anima iusti speciali quodam modo Deus inhabitet, ad iustum tanquam ad finem omnia naturalia ordinantur. Item quia in sacramento altaris speciali modo invenitur author gratiæ & gloriæ, sacramentum Eucharistiæ cæ-

Tom. IV.

A tetorum omnium finis esse censetur. Cum ergo in humanitate Christi, speciali quodam & ineffabili modo, plenitudo divinitatis inhabiter, Christus jure merito omnium creaturarum, & totius ordinis naturæ & gratiæ, subindeque omnium prædestinatorum finis censendus est.

42. Secunda pars conclusionis, quæ asserit Christum esse, causam formalem extrinsecam, seu exemplarem nostræ prædestinationis, docetur à D. Thoma hic art. 3. ubi illam probat primò ex Augustino de prædest. Sanct. cap. 15. dicente: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus:* Dicitur enim (ut exponit S. Doctor) *lumen prædestinationis & gratiæ*, in quantum per ejus prædestinationem & gratiam, manifestatur nostra prædestinatio, quod pertinet ad rationem exemplaris. Deinde illam probat hac ratione: Christus prædestinatus est filius Dei naturalis, nos autem filij adoptivi: Sed filiatio naturalis est exemplar adoptivæ: Ergo prædestinatio Christi, ex parte termini, nostram exemplariter causavit. Quod videtur traditum à Paulo ad Roman. 8. his verbis: *Quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

43. Notat verò idem S. Doctor ibidem in resp. ad 3. prædestinationem Christi non esse exemplar homogeneum, seu ejusdem rationis cum nostra, sed heterogeneum, & diversæ rationis, eò quod filiatio naturalis sit diversæ rationis à filiatio adoptiva. Quod intelligendum est de prædestinatione Christi considerata in ordine ad terminum primarium, nam si sumatur quoad terminum secundarium, est exemplar ejusdem rationis cum nostra; gratia enim habitualis, & gloria, terminantes secundario Christi prædestinationem, ejusdem rationis sunt cum gratia & gloria nobis concessa, quæ sunt terminus primarius nostræ prædestinationis.

44. Tertia tandem pars, quæ ait Christum esse causam efficientem moralem seu meritoriam nostræ prædestinationis, breviter suadet. Non stat Christum mereri omnes nostræ prædestinationis effectus, & non mereri nostram prædestinationem, sumptam pro actu Dei increato, non quidem secundum entitatem & perfectionem intrinsecam (nam prædestinatio sic sumpta est entitas increata & à se, subindeque independens ab omni causalitate) sed pro eodem actu secundum terminationem liberam activè consideratam: At Christus meruit omnes effectus nostræ prædestinationis: Ergo & nostram prædestinationem, modo jam dicto consideratam. Minor patet ex dictis supra disp. 21. art. 7. Major verò probatur primò ex differentia quæ inter causam physicam & moralem versatur; illa enim in effectum immediatè suam causalitatem exercet, ista immediatè non erga effectum, sed circa affectum præmiantis, illum alliciendo, inclinando, movendo: Ergo non stat meritum omnium effectuum prædestinationis, absque merito decreti divini, secundum terminationem liberam activè consideratam, quam dicit ad creaturam.

45. Deinde, si Christus meruit omnes effectus nostræ prædestinationis, collatio illorum exterior fuit actus justitiæ erga Christum: Sed non stat actum exteriorem esse actum justitiæ, nisi etiam detur actus interior gaudens honestate justitiæ: Ergo voluntas executiva illorum, etiam fuit actus justitiæ, & consequenter merita Christi Domini

T T t

pro motivo respexit; actus enim iustitiæ, jus alterius respicit pro motivo: eo autem ipso quod actus voluntatis divinæ pro motivo respiciat merita, sub eisdem meritis cadit, & ab ipsis efficienter moraliter seu meritorie causatur: Ergo de primo ad ultimum, non stat Christum nobis mereri omnes prædestinationis effectus, absque eo quod meruerit nostram prædestinationem, secundum terminationem liberam activè consideratam, quam dicit ad creaturam. Argumenta quæ in contrarium fieri solent, loco citato proposita & soluta fuere, & ideo hic prætermittuntur.

46. Ex dictis intelliges, Christum primum omnium prædestinatorum merito appellari: Est enim caput omnium prædestinatorum, & nostræ prædestinationis finis, & exemplar, ut jam ostendimus: Sed caput est primum inter omnia membra, & ordine, & dignitate; finis etiam est prius volitus & intentus, quam ea quæ ad ipsum ordinantur; exemplar quoque præintelligitur ad exemplata, ut quid dignius & perfectius, præferimus si sit heterogeneum, & diversæ rationis, ut in præsentia contingit: Ergo Christus est omnium prædestinatorum primus, ideoque in Scriptura, *Primogenitus in multis fratribus*, appellatur.

ARTICULVS III.

An Christus meruerit prædestinationem nostram, ut est comparativa, & electio unius præ alio?

47. Licet articulo præcedenti monstraverimus, Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, quia tamen illa potest considerari dupliciter, nimirum sub ratione simplicis dilectionis prædestinatorum, & sub ratione electionis, quæ ratione importat quod istis gloria conferatur præ aliis, id est aliis non electis ad gloriam, vel ab illa positive exclusis: merito hic inquirimus, an Christus meruerit nostram prædestinationem, non solum ut habet rationem simplicis dilectionis, sed etiam ut est comparativa, & electio unius præ alio? Quod ut magis declaratur.

48. Advertendum est, duobus modis posse concipi Christum meruisse prædestinationem hominum, prout est comparativa. Primo ut solum meruerit comparisonem formalem, nimirum ut aliqui præ aliis eligerentur confusè & indeterminatè. Secundo ut meruerit comparisonem & designationem materialem, id est ut huic & illi nominatum, v. g. Petro & Paulo in particulari, merita sua applicarentur. Hoc præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, Christum meruisse prædestinationem nostram, sub ratione electionis consideratam; nec aliquorum vagè & indeterminatè, sed horum determinatè qui prædestinati sunt. Ita communiter docent Theologi, excepto Scotto, & Discipulis ejus, quos pauci ex Recentioribus sequuntur.

49. Prima pars conclusionis probatur primò ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo, si-*

cut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Ubi in Christo, idem valere ac per Christum, seu per merita Christi, docent Patres Græci communiter, & ex Latinis Ambrosius, & D. Thomas ibi lect. 1. Unde sic arguo: Deus nos benedixit in Christo omni benedictione: Sed præcipua hominum benedictio consistit in prædestinatione illorum, quatenus est comparativa, seu prout est electio unius præ alio: Ergo hac benedictione prædestinatos benedixit in Christo: Sed Deum benedicere in Christo, est Christum benedictionem nobis mereri: Ergo meruit nobis Christus prædestinationem, etiam prout est comparativa, & electio unius præ alio.

Probatur secundo eadem pars: Merita Christi Domini fuerunt prævisa ante prædestinationem hominum, ut est comparativa, & electio unius præ alio, cum ipse sit primus prædestinatorum & ordine & dignitate, ut constat ex dictis articulo præcedenti: Ergo talia merita fuerunt causa prædestinationis hominum comparative, & prout est electio unius præ alio. Consequentia pater, nam omne quod prævisionem meritorum Christi supponit, potest esse illorum præmium; cum habeant vim meritoriam simpliciter infinitam, & consequenter ad omne præmium sufficientem valorem; & aliunde quod in talem electionem ut in præmium referantur, deceat dignitatem Christi & congruat muneri Redemptoris: Ergo si merita Christi fuerunt prævisa ante prædestinationem hominum, ut est comparativa, & electio unius præ alio, illam sub hac ratione Christus meruit.

Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit Christum non meruisse electionem aliquorum in communi, & vagè ac indeterminatè, sed horum determinatè & in particulari qui prædestinati sunt, probatur primò ex illo Christi ad Discipulos Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* quæ verba de electione ad gloriam intelligit Augustinus de prædestinat. Sanct. cap. 19. & de corrupt. & gratia cap. 7. dicens: *Illos ergo elegi ad obinendum regnum suum.* Eodem modo ea interpretatur Divus Thomas ad Ephes. 1. lect. 1. & per illa explicat sententiam Pauli asserentis quod Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem: Sed in illis verbis importatur specialis & determinata electio aliquorum in particulari, scilicet Apostolorum, aut Discipulorum Christi: Ergo Christus meruit prædestinatis electionem ad gloriam, non aliquorum vagè, sed horum in particulari & determinatè.

Deinde probatur eadem pars ab inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: Si enim Christus solum meruisset electionem hominum in communi, seu vagè & indeterminatè, & non istorum in particulari, & determinatè præ aliis, non essent isti præ aliis specialiter ipsi obligati, quoad primam electionem ad gloriam, primamque prædestinatorum à reprobis discretionem: Sed hoc admitti non debet: Ergo non est asserendum, Christum meruisse duntaxat electionem prædestinatorum vagè & in confuso acceptam, & non specialem electionem istorum determinatè, præ aliis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra istam conclusionem obijciunt primò Adversarij: Electio prædestinatorum ad

gloriam, à Scriptura SS. Patribus vocatur gratuita, & reducitur ad beneplacitum voluntatis divinæ, & ostensionem bonitatis & gratiæ, ut in Tractatu de prædestinatione fusè ostendimus: Sed si merita Christi talem electionem præcessissent, ut motiva illius, ratio illius non fuisset solum beneplacitum Dei, & ostensio suæ bonitatis & gratiæ erga electos, sed etiam merita Christi, & ostensio iustitiæ erga ipsum: Ergo electio prædestinatorum ad gloriam non est ex meritis Christi.

34. Confirmatur exemplo figuli & luti quo utitur Apostolus ad demonstrandam meram & gratuitam Dei voluntatem, in his eligendis, & illis relinquendis; sicut enim ex parte luti nulla est assignabilis ratio ut ex illo formetur vas in honorem, vel in contumeliam, sed à solo pender beneplacito figuli; ita ex parte hominum, nulla est ratio cur unus assumatur, & alter relinquantur, sed omnino dependet ex libero beneplacito Dei: At si Christus meruisset electionem prædestinatorum ad gloriam, aliqua esset ratio ex parte hominum cur à Deo eligerentur, præter divinam libertatem, videlicet merita Christi, quibus ius esset acquisitum hominibus, ut à Deo eligerentur: Ergo Christus non meruit prædestinatis electionem ad gloriam.

35. Respondeo electionem prædestinatorum ad gloriam, à Scriptura & SS. Patribus gratuitam appellari, non per comparisonem ad Christum, sed per respectum ad nos, quia nempe nullis nostris meritis præcedentibus, Deus nos ad gloriam elegit: sicut gratis nos iustificari dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, iustificationis gratiam promerentur, ut asserit Tridentinum sess. 6. cap. 8. & hoc non obstante, tota nostra iustificatio meritis Christi tribuitur. Ex quo patet responsio ad confirmationem, exemplum enim luti & figuli quo utitur D. Paulus, solum valet ad declarandum, nullam ex parte nostri, prædestinationis aut divinæ electionis causam assignari posse, non autem probat, quod ex parte Christi, ratio nostræ prædestinationis & electionis non detur.

36. Dices, Prædestinatio nostra est tam gratuita, ac prædestinatio Christi: Sed hæc ita est gratuita, ut nec Christi nec alterius meritis facta sit: Ergo & nostra ita est gratuita, ut nec ex meritis Christi dependeat. Minor est Augustini libro de prædestinatione sanctorum cap. 15. Major etiam constat ex eodem S. Doctore ibidem, ubi docet quod prædestinatio Christi fuit exemplar nostræ prædestinationis, & quod sicut illa nulla merita supponit, ita & ista ex nullis meritis processit: Ergo sentit prædestinationem nostram non minùs esse gratuitam, nec minùs à meritis independentem, quàm Christi prædestinationem.

37. Respondeo distinguendo Majorem: prædestinatio nostra est tam gratuita, ac prædestinatio Christi, per comparisonem ad nos, concedo majorem: per comparisonem ad Christum, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Nec oppositum docuit Augustinus, solum enim loco citato intendebat probare, nos prædestinari à Deo non ex nostris meritis, sed ex illius misericordia & amore, idque ostendit exemplo prædestinationis Christi, quam nulla Christi merita præcesserunt. Ille homo (inquit) ut à Verbo Patri coæterno, in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiit, ut ad hanc

A ineffabilem excellentiam perveniret, &c.

Nec ex hoc quod Christi prædestinatio sit nostra prædestinationis exemplar, sequitur debere quoad omnia, in ratione gratiæ, & exclusione debiti, ipsi adequari: ut enim docuit D. Thomas hic art. 3. ad 3. fuit exemplar heterogeneum & diversæ rationis; unde sicut ob hanc causam prædestinatio Christi excedit nostram in termino (nam illa ordinatur ad filiationem Dei naturalem, nostra verò ad adoptivam) ita ob eandem rationem excedit illam in modo, & in ratione gratiæ & liberalis; nam Christi prædestinatio nulla omnino merita condigna supponit, nostra verò ex meritis Christi non solum condignis, sed etiam superexcedentibus, processit. Unde sicut hic discursus non valet: Prædestinatio nostra est exemplata à prædestinatione Christi: Sed hæc in ordine executionis non cadit sub merito condigno alicujus: Ergo nec nostra in eodem ordine alicujus meritum condignum supponit. Ita nec valet ista ratiocinatio: Prædestinatio nostra est exemplata à prædestinatione Christi: Sed hæc in ordine intentionis, & prout est electio humanitatis assumptæ ad unionem hypostaticam, nulla omnino merita nec propria nec aliena supponit. Ergo & nostra prædestinatio, ut spectat ad ordinem intentionis, & ut dicit electionem prædestinatorum ad gloriam, ita est gratuita, ut nec à nostris, nec à Christi meritis dependeat.

C Obijcies secundò: Meritum Christi fuit effectus electionis efficacis prædestinatorum ad gloriam: Ergo talis electio non fuit premium meritorum Christi. Consequentia patet, tum quia principium meriti, sub eodem merito cadere non potest: Tum etiam, quia non ob aliam rationem, iustorum merita non causant ipsorum electionem ad gloriam, nisi quia ex illa imperantur, & ab illa procedunt: Ergo si merita Christi quibus salutem prædestinatis meruit, processerunt ex efficaci electione illorum ad gloriam, talis electio merita Christi antevertit, & ab illis causari nequit. Antecedens verò probatur: Voluntas efficax mediè efficaciter conducentis ad finem, est effectus volitionis finis, & ab ea imperatur: Sed merita Christi sunt media ad salutem & electionem prædestinatorum, cum ad illam efficaciter conducant: Ergo ab ea imperantur, & sunt effectus illius. Qua ratione in Tractatu de prædestinatione ostendimus, merita hominum à Deo prævisa non causare electionem prædestinatorum ad gloriam, quia cum sint media ad illam conducentia, illius volitionem supponunt, & ab ea imperantur, subindeque non sunt illius causæ, sed effectus.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem, concessa Majori, nego Minorem: nam licet merita Christi efficaciter conducant ad salutem electorum, non tamen conducunt ut media ex illius amore electa, sed ut causæ specialem electionem salutis æternæ inferentes: non autem omne efficaciter conducentis ad aliud, illius amorem debet supponere, & ex illius intentione imperari, sed tantum quod ut medium assumitur; cum enim medium ratione finis ametur, sicut conclusio ratione præmissarum cognoscitur, debet ut efficaciter eligatur, amorem efficacem finis supponere, & imperari ex illius intentione efficaci; sicut conclusio, quia ratione principiorum cognoscitur, ut certò cognoscatur, debet supponere certam principiorum cognitionem; & ut evidens sit conclusionis cognitio, præsupponi debet evidens notitia principiorum: causa verò,

et si in ordine ad effectum ametur, non tamen ratione effectus amatur, & ideo illius amorem non supponit, sed infert.

61. Obijciens tertio: Christus Joan. 17. fatetur predestinatos sibi datos esse à Patre, ait enim: *Pater sancte, serva eos in nomine meo quos dedisti mihi*: Sed si Christus predestinatorum electionem meruisset, illi non possent dici cum proprietate Christo dati à Patre, quod enim propter merita retribuitur, non dicitur propriè donari: Ergo; Christus predestinatorum electionem non meruit, sed illa fuit omnino liberalis & gratuita, etiam per comparisonem ad ipsum.

62. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: nam Paulus ad Philip. 2. docet Christum per humilitatem & obedientiam, sui nominis exaltationem meruisse, ait enim: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum*, & tamen statim subdit, ei donatum fuisse à Deo nomen quod est super omne nomen: Ergo licet Christus predestinatorum electionem meruerit, hoc tamen non obstat quominus predestinati ipsi à Patre datidicantur. Ratio est, quia quod in radice est

A indebitum, quamvis proximè debeatur, potest dici propriè donatum: electio verò predestinatorum ad gloriam, quamvis meritis Christi proximè debita sit, in radice tamen omne debitum excludit; quia voluntas Dei quâ inspiravit Christo meritum nostræ electionis, illumque ut mereretur applicuit, fuit omnino liberalis, & ad istam voluntatem, tanquam ad primam radicem, meritum Christi reducit.

Quæ docet D. Thomas quæst. 25. de adoratione Christi, facilia sunt, & solâ textus lectione percipi possunt, unde his prætermisiss, & reliquis quæ sunt de vita & morte Christi, agendum est de sacramentis, quæ sunt uberrimi gratiæ rivi, & fontes Salvatoris, ab Isaia Propheta prænuntiati, dum in suo dicit Cantico: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Omnes ergo sitientes venite ad aquas illas spirituales & divinas, quæ per sacra illa canalía, & cælestes aquæ ductus, continuo fluxu nobis communicantur. *Haurite aquas* (inquit Hieronymus) *non de fontibus fluminis Ægypti, sed de fontibus Iesu, qui in Evangelio clamabat, si quis sitit, veniat ad me, & flumina de ventre ejus exibunt*.

Finis Tomi IV. Clypei Theologia Thomistica contra novos ejus impugnatores.

